

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

I.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)



## I.

## Epistola Ambrosii Blaureri, Augustam, ad Wolfgang.

Musculum scripta, 28. Augusti, 1544.

Post votum Concordiae in Ecclesiis, &amp;c.

**T**igurinorum candor, humanitas & erudita modestia, supra modum mihi jamdiu allubescit, eos si nonnulli imitari quam calumniari & convitiis insectari malent, haud quaquam tot remoras injici quotidie videremus cursui Evangelii Christi. Habent illi, mihi crede, magnam pacis ac communis unitatis rationem, sed qua firma sit ac omnino sincera, non fluctuans & sophisticata, qualem nonnulli hodie pio magis quam felici conatu à plerisque extorquent, à qua illi, cum sint liberiori ingenio, interim tamen etiam prudenti, ut circumveniri metuant, vehementer abhorrent. Quam verò non sint irritabili stomacho, argumento non obscurō est dentatissima illa & à theologica gravitate multum aliena L. Epistola, quam ad Froschoverum Tigurinum Typographum scripsit, ubi sic bonos illos & doctissimos viros damnat, proscindit, ac diris capita illorum devovet, ut nullus cacodæmon possit crudelius, & hanc tamen quando publicè non est edita, constanter illi dissimulant, nihil indulgentes privato affectui, sed quid in publicum expediatis, pensi habentes, quo mihi profecto nomine multum sunt venerandi, & studium suum provehendæ gloriæ Christi clarissimè probant. Bullingerus & Gualtherus cum ad me sèpissimè scribant, nihil unquam vel obiter, quod sibi in suis scriptis displiceat, commemorârunt, ut lubenter mihi persuadeam, illis tecum pulchrè convenire. Quid P. M. de Tigurinorum ecclesia, quin etiam nostris, sentiat, ex Josepho Macario, illo sanctissimo ac verè eruditō adulescente, discere potuisti, &c. Commendat postea Macarium & ingratitudinem ac frigus Magistratum in provehendā doctrinā Evangelicā abominatur. &c.

## II.

## Fabricius Capito, 5. Junii, Ao. 1522. Noribergæ.

Erasmo, tanquam parenti colendo.

**S.** D. Stunicæ Hellus Lutheranis plausibilis est. Titulus est: Erasmi Roterdamii blasphemiae & impietates per Jacobum, &c. Versa pagella continet glo-

K k k k 3

110